

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CIX. Argumentum. Referuntur motiva, quibus Parochi, & personæ Ecclesiasticæ tenentur exercere Officia Divina cum Tonsura, Veste talari, decenti superllectilli Sacra; & servare Silentium in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

caelestis perfectus est, & Luc. 6. Estote misericordes, sicut Pater vester caelestis misericors est; & ad Ephes. 5. 1. Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulante in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis, nam ut infra notabimus, unus ex effectibus Virtutis Heroicæ est facere hominem similem Deo, & Redemptori nostro JESU CHRISTO. Igitur requisita sunt. 1. Ut operatio virtuosa sit hominis fidelis; quia Pagani, & Hæretici non possunt Christo assimilari; nam Hebr. 11. Sine Fide impossibile est placere Deo. 2. Ut sit in materia virtutis: quia res mala, vel indifferens, aut merè naturalis, ut fortitudo, Nimrod, aut Gigantum, non potest ascendere ad Heroicitatem, quæ est qualitas, fulgor, & excellentia competens soli virtuti. Virtutes autem à natura nobis non insunt. Aristot. 2. Ethic. 1. 3. Ut sit ob finem supernaturalem, qui proprius est Religionis Christianæ, ad differentiam Gentilium, & Philosophorum, qui tendunt in finem naturalem; & ideo non possunt assimilari Deo, qui omnia propter semetipsum operatur. Prov. 16. 4. 4. Ut fiat dicta actio virtuosa supra communem naturæ modum; alias omnes actiones virtuosæ essent Heroicæ, quod falsum esset asserere: hinc in Sacra Scriptura commendantur tanquam Heroicæ virtutes, quæ fuerunt supra modum ordinarium; ut obedientia Abraham in sacrificando Isaac. Genes. 22. Pudicitia Joseph. Genes. 39. Fortitudo Eleazar primi. 1. Macc. 6. & Religio, ac legis observantia Eleazar secundi. 2. Macc. 6. ac Apostolorum virtutes in Act. Apost. & in Gestis Sanctorum. 5. Ut sit ex Dei dono, instinctu, seu impulsu Divino; nam, ut docet S. Thom. 1. 2. quæst. 68. art. 1. in corp. ad fin. & in resp. ad prim. homo habet duplex principium suorum motuum: Unum internum, & est ratio; alterum externum, & est Deus, qui ad duplicis generis opera concurrat cum homine; quædam sunt naturalis ordinis, quædam supernaturalis; & in hoc genere supernaturalium, quædam sunt communia, quædam superiora; pro primis sufficiunt auxilia communia: pro secundis necessaria sunt dona, per quæ homo proportionatur ad recipiendam Dei motionem, seu impulsu, & instinctum; & qui tale donum, seu instinctum recipiunt, non egent ratiocinio humano, quia moventur à meliori principio, id est dono consilii, & instinctu Dei; & sic actio Heroica ex dono Dei ejusque instinctu, & impulsu Divino procedit, ac propterea omnes Viri Sancti operati sunt Heroicas virtutes ex speciali impulsu, instinctu, & dono Spiritus Sancti. 6. Debet esse cum abnegatione seu explicita, seu implicita operantis; quia omnis virtus est cum labore: Virtutem (namque) posuere Dii sudore parandam. Et eo magis Virtutem Heroicam; juxta illud Matth. 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam & sequatur me.

Porro opus est signis exterioribus ad cognoscendas Heroicas Virtutes Christianas; cum enim sint habitus incorporei, insensibiles, ac supernaturales, nequeunt immediatè per seipsos, & intuitivè cognosci, nisi ab Angelis, & ab anima separata; quare cognoscendi sunt per externas actiones, in quas influunt, saltem imperativè tanquam ab effectu; siquidem scriptum est, Matth. 7. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Igitur quia Heroicitas facit hominem similem Christo, & Christus caruit fomite, & ha-

buit passiones purgatas, sanctas, & in nullo refractarias, nonnulli dixerunt, signum cognoscendi Heroicitatem esse totalem, ac perfectam purgationem passionum, ita ut quiescant omnino, neque inordinatè moveantur. Sed hoc non est verum; quia non datur talis quies in Viatore nisi ex Dei specialissimo dono; nam, ut decidit Concil. Trident. Sess. 5. in Decret. de pec. orig. concupiscentia in Baptismo non auferitur, sed relinquitur ad agonem, & de seipso testatur Apostolus ad Rom. 7. v. 23. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; & plures Sancti eximie virtutis fomitem carnis sentiebant, & asperimis poenitentius reprimebant, ut S. Benedictus, S. Franciscus, & alii. Ideò ad cognoscendam Heroicitatem Christianæ Virtutis signa exteriora sunt: 1. Mortificatio magna passionum, ut vix, aut leviter insurgant: juxta illud ad Rom. 8. 36. Quia propter te mortificamur tota die, & ad Coloss. 3. 5. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. 2. Operari supra communem naturæ modum ex fine supernaturali expedite, promptè, & delectabiliter; & propterea ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Et 3. ut operatio procedat non ex humano ratiocinio, sed ex impulsu Divino, & dono particulari Spiritus Sancti, ut demonstrat Jacob. Pignatellus tom. 2. Consult. 9. usque ad Consult. 20. & probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 32. art. 6. & art. 9. usque ad art. 17. ubi tractat de propriis donis Spiritus Sancti, quibus quælibet Virtus tam Theologalis, quam Cardinalis ac Moralis ascendit ad gradum Heroicitatis.

Effectus Christianæ Heroicitatis sunt tres. Unus, ut in habente virtutem Heroicam sint omnes Theologales saltem in gradu communi, non etiam Cardinales, nisi virtualiter, seu in preparatione, ac dispositione animi. Alter, ut Heros Christianus vivat in timore, & tremore, & cum maxima sui ipsius humilitate, ne decidat à gratia, & perseverantiam perdat; nulla enim Virtus quamvis Heroica reddit hominem impeccabilem, ut ex autoritate Sacre Scripturæ, SS. Conciliorum SS. Patrum, ac exemplis plurimis piè, ac eruditè demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 32. art. ult. Tertius effectus est, ut faciat Heroem Christianum similem Redemptori Nostro JESU CHRISTO. Schacchus de Not. & sign. sanct. sect. 2. cap. 4. Lezana d. tom. 3. Theol. tract. 4. disput. 4. quæst. 11. Christophorus Sylvestran. in 4. sent. sect. 4. Tarquin. Galut. in lib. 4. Moral. cap. 3. quæst. 2. & prælibatus Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 32. art. 3. 4. & seqq.

DECISIO CIX.

ARGUMENTUM.

Referuntur motiva, quibus Parochi, & personæ Ecclesiasticæ tenentur exercere Officia Divina cum Tonsura, Veste talari, decenti supellectili Sacra, & servare Silentium in Choro, & Attentionem internam, & externam.

SUMMARIUM.

1. Tonsura & Clericalis appellatio quid veniat?
2. Coma clericis prohibita.

3. Tonsura Clericalis motiva tria.
4. Tonsuram Clerici non ferentes peccant mortaliter.
5. Corruptela est in Clericis relaxare Comam.
6. Consuetudo centenaria, qua declarata est abusus, nihil valet.
7. Vestis talaris in Clericis motiva tria.
8. Vestem talarum non deferens perdit Privilegia Clericalia.
9. Vestis talaris omisso an sit mortalis in Clericis?
10. Vestium Sacrarum Myſteria.
11. Suppellectilia Sacra custodire est meritum.
12. Vestibus immundis celebrare peccatum est.
13. Silentium servandum in actionibus Sacris.
14. Lingua refrananda.
15. Confabulationes in Choro sunt peccata.
16. Silentium in Choro non servantes non lucrantur distributiones.
17. Attentio externa, & interna requiritur in Divinis Officiis.
18. Attentio triplex in Divinis officiis.
19. Attentio alia actualis, alia virtualis.
20. Angelos imitantur, qui psallunt in Choro.
21. Orationis fructus triplex.
22. Distributiones teneri restituere, qui stat distrahus in Choro.
23. Visio de male recitantibus in Choro.

QUOAD TONSURAM.

PLurimi eruditione, pietate, ac Zelo præclarissimi Parochi prænotarunt, appellatione Tonsuræ non esse intelligendam solam Clericam, seu Coronam, quam Ecclesiastici ferunt in Vertice, sed etiam Rescisionem capillorum per totum caput, ita ut capilli non sint auribus longiores. Hoc probarunt: 1. ex cap. Clerici 15. de Vita, & honest. Cleric. ubi Innocentius Papa III. & Coronam, & Tonsuram in Clericis requirit, ibi: Coronam, & Tonsuram habeant congruentem. Ergo sola Corona in Vertice, seu Clerica non sufficit. 2. Ex cap. ult. de Clericis Conjug. ubi Honorius Papa Tertius pariter nominat Tonsuram, & Coronam Clericalem tanquam duas res distinctas, ibi: Qui cum olim minori esset constitutus ætate, Tonsuram tantum, & Coronam Clericalem assumpsit. Ergo satis non est sola Clerica. 3. Quia plures Canones vetant Clericis comam nutrire, & eam relaxare. cap. Prohibete, cap. Clerici, cap. Non liceat, 23. dist. & per eosdem Canones iidem Clerici inviti jubentur tondere, & attonso capite, patentibus auribus ire. 4. Ex Glossa in cap. unic. de Clericis Conjug. in 6. quæ sic ait: Proprie Tonsura est illa abscissio capillorum, quæ est in parte inferiori, ut aures pateant: sed Clerica est abscissio capillorum in parte superiori. 5. Ex Pontificali Romano part. 1. tit. 3. de Clerico faciendo, ubi Episcopus daturus primam Tonsuram non orat pro formanda Clerica, vel Corona in vertice, sed ait, Oremus, fratres charissimi, Dominum Nostrum Jesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum, pro amore ejus festinant. 6. Ex Vitis SS. qui vitam Clericalem incuntes, capillos depoluerunt, & caput toronderunt, ut videre est apud Surium in Vita S. Benigni Presbyteri, & Martyris, die prima Novembr. in Vita S. Gregorii Turonensis die 17. Novembr. & de S. Casario Arelaten. scribit S. Cyprian. quod in ætate annorum octo confugit ad Sylvestrum Pontificem, & petiit, ut ablatis sibi capillis, mutatoque habitu, divino servitio manciparet: De Sancto Joanne Gualberto ait Breviarium Romanum die 12. Julii sect. 4.

quod cum decreverit militare Deo; propria sibi manibus comam toronderit.

Notgerus Episcopus Leodiensis in vita S. Landoldi scribit, quod ab oratione surrexit, capitis comam sibi abscindi fecerit, clericatus adeptus honorem. Alia plura hujus rei argumenta refert Emanuel Gonzalez in Comment. ad cap. Si quis ex clericis, 4. de Vita, & honest. cleric. num. 5. ubi ponit sequentia carmina Aratoris Poëtæ Subdiaconi S. R. E. qui floruit Anno 545. & in Epist. ad Parthenium de sui ipsius clericali tonsura ita cecinit:

Namque ego Romana caulis permixtus amenis
Ecclesia, tonso vertice, factus ovis.

Et 7. Auctoritate Doctorum, quorum unus inter Eminentiores Doctrina, Pietate, ac Dignitate est Eminentissimus Cardinalis de Lauræa in Epitome Canonum Verb. Tonsura, ubi sic notat: Tonsura Clericorum talis esse debet, ut aures videantur, Corona vero debet esse rotunda, &c.

His prænotatis, ut certum sit, Ecclesiasticam Tonsuram non consistere in sola Clerica, seu Corona, sed etiam in rescissione capillorum, ita ut aures pateant: tradiderunt præfati DD. Parochi, & Confessarii sequentia motiva ad denotandam obligationem personarum Ecclesiasticarum non relaxandi comam.

Primum Motivum ob Moralitatem: siquidem 3 Tonsura Ecclesiastica significat excellentiam vitæ Clericalis; juxta illud 1. Petr. 2. Vos estis genus electum, Regale Sacerdotium. Et contemptum mundi, cap. Duo sunt, 12. quæst. 1.

Secundum Motivum ob Utilitatem: nam ex ea proveniunt quatuor Privilegia, scilicet Canonis, Fori, Immunitatis à gabellis, & Habilitatis ad beneficia, & pensiones. Toto tit. de Vita, & honest. Cleric. in Decret. in 6. & in Clem. Nec non in Bulla 92. Sixti Quinti & in Conc. Trident. de Reformatione, 23. cap. 5. & Sess. 25. cap. 20.

Tertium Motivum ob Necessitatem: attento 4 quod Tonsura in Clericis sit de Præcepto; & eam non observantes non videantur excusandi à peccato mortali; tum quia Sacri Canones feriunt excommunicatione Clericos comam relaxantes, Eminentiss. Cardin. de Lauræa in Epitome Verb. Clerici, quoad habitum, & Tonsuram: tum quia sic censent gravissimi Doctores, Bonacin. tom. 1. de Sacrament. Ordin. quæst. Unica, punct. ult. num. 3. & Layman. lib. 5. tract. 9. cap. 12. num. 3. qui alios cumulant.

Neque suffragari potest contraria consuetudo particularium personarum, vel locorum, quia hæc tanquam abusus, & corruptela ubique terrarum declarata est, ac damnata infinitis propemodum Constitutionibus, quas collegit Caston. Chamillard, in Tractatu de Corona, Tonsura, & Habitu Clericorum, in quo leguntur Decreta sexdecim Bullarum Apostolicarum, decem Conciliorum Generalium, Provincialium centum, triginta sex, Synodaliū ducentorum, quinquaginta duorum: & ulterius referuntur plurimæ SS. Patrum Sententiæ, Principum ac Senatum Edicta, Theologorum, ac Canonistarum allegationes in condemnationem Clericorum relaxantium comam. Neminem verò latet, invalidam, nulliusque roboris esse consuetudinem, (quamvis centenariam, & immemorabilem) quæ declarata est abusus, & corruptela. Gonzal. ad reg. Canc. gloss. 33. num. 10. & 11. Sperell. decis. 37. num. 51. & decis. 182. num. 33. 57. & 60. ac etiam illam, quæ est contra ho-

nestatem, & Ecclesiasticam disciplinam, idem Sperell, *decsf.* 179. num. 61.

QUOAD VESTEM TALAREM.

Adduxerunt pariter tria motiva, ut jugiter Ecclesiastici ea utantur. *Primum Motivum ob Moralitatem;* tūm quia ipsa significat excellentiam vitæ Clericalis, & decorem reddit utentibus illa; idē ait Dominus Moyſi, *Exod.* 28. 2. *Facies Vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem.* Et Romani Cives in signum honoris donati fuere ab Antonino Imperatore *Veste Talari*, quæ appellabatur *Caracalla*, græcè *Καρακάλλιον* Beda lib. 1. cap. 7. *Hist. Anglic.* Cardin. Baron. ann. 213. num. 10. Hierolexicon Magrii, & Amalthæa Onomastica Verb. *Caracalla*. Novissimè Sarnell, in *Speculo Cleri Secularis* part. 1. cap. 4. Tūm etiam quia *Vestis Talari* innuit perseverantiam. Alcuinus de *Div. offic.* nec non iustitiam, & Sanctitatem Clericorum. Hinc S. Joan. *Apoc.* 1. v. 13. ait: *Vidi similem Filio homini vestitum pedere; quæ verba declarans Marchantius in fine operis de offic. Pastor. collar.* 2. Paragraph. 2. ait: *Poderis Vestis erat Sacerdotalis, inde Poderis dicta, quod ad pedes usque se porrigebat. Et infra: Significat autem hæc Poderis iustitiam, quæ verus Pastor ornatus esse debet.*

Secundum Motivum ob Utilitatem; nam ea dimissa, amittuntur antedicta quatuor Privilegia Canonis, Fori, Immunitatis, & Beneficiorum, tūm ex iure antiquo, cap. 1. & seqq. 21. quæst. 4. cap. 1. de *Apostat. Eminentiss.* Cardin. de Lauræa Verb. *Vestis*; tūm ex Concilio Tridentino *Sess.* 24. de *ref.* cap. 6. *Sess.* 22. cap. 6. & *Sess.* 23. cap. 6. tūm etiam ex d. Bulla Sixti Quinti, Quaranta. Verb. *Habitus Clericalis*. Gavantus in *Manual. Verb. Clericus* num. 3. & Sa num. 33.

Tertium Motivum ob Necessitatem; quia licet disputent DD. an sit peccatum mortale incidere absque *Veste Talari*; & plures sint pro utraque opinione, quos allegat Layman, lib. 5. tract. 9. cap. 12. num. 2. & 3. & Cotton, *controver. Illustr.* lib. 3. contr. 3. num. 143. absque dubio lethale est in hac Diocesi Divina officia celebrare sine illa stante Decreto Eminentiss. Domini Cardinalis Episcopi diei 9. Febr. anni 1669. de *Veste Talari* sub pœna suspensionis à Divinis ipso facto incurrenda, excepta causa itineris, videlicet tunc & quando celebrans distat à sua solita habitatione per decem miliaria, ut pluries prælibatus Eminentiss. Præful declaravit.

CIRCA DECENTIAM SUPELLECTILIS SACRÆ.

Tria pariter fuere Motiva pro decentia Vestium Sacrarum.

Primum ob Moralitatem, quia repræsentant Virtutes tūm Christi Domini, tūm Sacerdotum ejus, & plenæ sunt mysteriis, quæ in sensu Literali, Allegorico, Tropologico, & Anagogico explicantur à Gavanto *super Rubric. Missal.* part. 2. tit. 1. num. 6. & à P. Quarto eod. tract. part. 2. tit. 1. num. 3.

Secundum ob Utilitatem, nam cum inter opera Pietatis præcipuum sit curare nitorem, & excellentiam Sacræ supellectilis, magna remuneratio obtinetur tūm in præsentem, tūm in futura vita à Deo Optimo Maximo: sicut enim Isaac statim, ut sensit Vestimentorum Fragrantiam, benedixit Jacob. *Genes.* 27. ita benedictionum celestium affluentiam consequuntur Ecclesiastici, qui verè cum

Psalmista dicere poterunt, *Domine, dil xi decorem Domus tuæ. Psalm.* 25. 8. Salomon quoque felicitate potitus, quia pretiosa quæque obtulit in servitium Templi, & usum Sacrificiorum, ut latè demonstrat P. Molina de *Instructioe Sacerd.* tract. 3. cap. 18.

Tertium ob necessitatem; quia cuncti Doctores testantur, mortale esse celebrare cum supellectili valde immunda, vel attrita Suarez de *Sac.* disput. 81. lect. 6. Paragr. ult. Tamburinus de *Sacrificio Missæ* lib. 1. cap. 3. num. 1. Ea ratione quia Rubricæ Missales de hac decentia sunt præceptivæ. Gavant. part. 3. tit. 11. num. 3. & est Præceptum naturale, ut reverenter tractentur Sacra, & decenter celebrentur Divina Mysteria. Quart. part. 1. tit. 20. dub. 8. ubi loquitur de nitore Tobælearum. Et part. 2. tit. 1. dub. 7. ubi agit de munditia Vestium Sacrarum.

QUOAD SILENTIUM.

Eadem Tria Motiva allegata sunt: *Primum Moralitatis,* quia in Officiis Sacris militantis Ecclesiæ repræsentatur triumphans Ecclesia, de qua scriptum est: *Factum est silentium in cælo. Apoc.* 8. 1. Marchant. in *Virga Aaron* tract. 3. lect. 14. 15. 16. *Secundum Utilitatis,* plurima enim bona è silentio, & taciturnitate procedunt, quæ refert Rodriq. in *Exercit. Perfect.* part. 2. tract. 2. cap. 14. Et equidem ut ait D. Jac. 1. 26. *Si quis putat se Religiosum esse, non refranans linguam suam, hujus vana est Religio, & commune est illud Catonis. Virtutem primam reputo compescere linguam. Tertium Necessitatis,* quia confabulationes in Choro, nugæ, risus, & strepitus mortalia peccata sunt, attentis tot, & tantis Canonibus silentium præcipiendis. Cardin. de Lauræa in *Epitom. Verb. Chorus, & Verb. Silentium*. Cecoper. de *Canonicis* lib. 2. num. 200. ubi ex S. Ambros. lib. 3. de *Virg.* refert, quod Ranz impediens suo murmure auditum publicæ Orationis circa proximam Ecclesiam, iussu à Sacerdote, ut conticerent, miro silentio obedierint; unde inculpabat loquaces S. Ambrosius dicens: *Silent paludes, non silebunt homines? Utinam hæc seriò considerarentur ab his, qui nesciunt tacere. Meminerint Statutis Cathedralium, & Collegiarum ordinari, ut qui silentium non servant in Choro, distributiones non lucentur, & Punctatores peccant eos non punctantes.*

QUOAD ATTENTIONEM.

Præmiserunt. *Primo* in recitatione Divinorum officiorum non solum præcipi Attentionem externam, sed etiam internam, cap. *Dolentes, de Celebrat. Missæ.* Grassius part. 1. lib. 2. cap. 28. num. 41. & quidem sub pœna peccati mortalis ex probabiliori opinione, quam tuentur Suarez de *Religion.* tom. 2. tract. 4. lib. 4. cap. 16. Tolet. lib. 2. cap. 13. Layman. lib. 4. cap. 5. tract. 1. num. 10. & novissimè Fagnan. in eod. cap. *Dolentes, an. 51. & seqq. de celebr. Missæ.* Quia cum oratio sit elevatio mentis in Deum, absque interiori attentione non potest esse oratio; neque obstat, quod Ecclesia non iudicet actus internos; proccedit enim in foro fori, non in foro conscientie. Azor. part. 1. lib. 10. cap. 12. quæst. 6. & non habet locum in actibus internis habentibus connexionem cum externis, ut in attentione in Divinis officiis. Fagnan. *dict. cap. Dolentes, num. 65.* Verum tamen est, quod in precibus ex sola

devotione evagatio mentis sit culpa tantum venialis, Sotus de *Iustit. & Jur.* lib. 10. *quæst.* 5. art. 5.

18 *Secundo præmiserunt*; Triplicem esse Attentionem in Divinis officiis, Materialem, Literalem, & Spiritualem. Prima consistit in attendendo ad Verba, ne unum Verbum dicatur pro alio, nevé quid omittatur. *Secunda* attendit ad sensum, & significatum Verborum. *Tertia* respicit ad Deum, & suam Divinam præsentiam, Christivè passionem, vel ad aliud Divinum Mysterium. P. Molina *Instruct. Sacerd.* in addit. ad *Tract.* 3. *cap.* 7. Sotus *dict.* art. 5. Quælibet ex his tribus attentionibus, (quando Sacra Verba integre proferuntur) sufficit ad præceptum Divini officii adimplendum, & ad satisfaciendum, merendum, ac impetrandum. Valentia *tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. *paragr.* 4. Grassius *part.* 1. *decis.* lib. 2. *cap.* 52. *num.* 8. Toletus *dict.* lib. 2. *cap.* 13. Pellizarius de *Monial.* *cap.* 10. *sect.* 3. *num.* 291.

Tertio præmiserunt; Unamquamque supradictarum attentionum dividi in *Actualem*, quæ actu attendit, vel ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum; & in *Virtualem*, dum quis in principio precum actuali gaudebat attentione, sed in prosecutione involuntariè distractus est ad profana. D. Antoninus in *Summ.* *part.* 3. *tit.* de *Hor. Can.* *cap.* 4. & Sotus *d. quæst.* 5. art. 5. Et hæc Virtualis attentio sufficit ad satisfaciendum, merendum, & impetrandum, si orans, quando advertit, se esse distractum, revocet animum. Abbas in *Clem.* si Dominum, de *Relig. domib.* & Vitalius in *Clem.* 1. de *Celebr. Missar.* *num.* 20. Lezana in *summ.* *part.* 1. *cap.* 12. *num.* 10. & seqq. nam & David fatur de se orante *Psal.* 39. *Cer meum dereliquit me.*

His præmissis, tria motiva notantur pro attentione habenda.

Primum ob *Moralitatem*. Quia exercemus in terris, quod agunt in celis Beati, & ut profiteatur Ecclesia hic cum Angelis, & Archangelis, cum Thronis, & Dominationibus, cumque omni militia Cælestis exercitus hymnum gloria Dei canimus.

Secundum ob *Utilitatem*; nam uberrimi sunt fructus Orationis attentæ, ac devotè factæ, de quibus Rodriguez *Exerc. Perfect.* *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. & 2. & præcipue, quia orantes satisfaciunt, meremur, & impetramus. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. art. 15. & 16. & ulterius spirituali dulcedine reficimur, Sotus *dict.* lib. 10. *quæst.* 5. art. 5.

Tertium ob *Necessitatem*; nam orantes sine attentione, & cum voluntaria divagatione dictos fructus perdunt, peccantque graviter, juxta illud. 21 *Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter.* Jerem. 48. 10. & si distributiones dentur, qui absque attentione externa, vel interna stetit in 22 Choro, tenetur eas restituere; ut confutata opinione contraria docet Moneta de *Distr. Quor.* *part.* 2. *quæst.* 2. *num.* 22. Grassius *part.* 1. *dec.* lib. 2. *cap.* 52. *num.* 15. & Fagnanus in *d. cap.* Dolentes. *num.* 57. ubi alios allegat de *Celebr. Missar.*

Tandem, ut Ecclesiasticis personis magis, ac magis exterior, atque interior attentio in Divinis officiis commendetur, hæc, quæ sequuntur ex Grassio *part.* 1. lib. 2. *cap.* 52. *num.* 26. transferimus.

Considerent etiam obligati recitare Horas Canonicas visionem illam, relatam à S. Antonino *part.* 2. *tit.* 9.

cap. 13. *Paragr.* 3. de quodam Pare Sancto, cui videnti in Choro demonem multa imponentem Sacco, & interrogatum, quid imponent? respondisse; Syllabas, & verba, quæ hi vel omittunt, vel deglutiunt inter dentes, vel versus incipiunt, antequam ii, quibus cum recitant, alios absolvant, vel male versus pronunciant, ut illos ejus rei accusaret in judicio.

DECISIO CX.

ARGUMENTUM.

Quibus mediis & rationibus, poterunt Parochi retrahere populum à peccatis carnis?

SUMMARIUM.

1. Carnis peccata quibus mediis evitanda?
2. Carnis vitium Deo summe odibile.
3. Carnis peccata difficillime emendantur.
4. Carnis peccatum non solum animam, sed etiam corpus coinquinat.
5. Carnalium culparum pessima conditio.
6. Feminarum conversationes fugiendæ.
7. Carnis tentationes quibus remediis vincantur?

Scripta fuere sequentia. 1. Excitare voluntatem eorum, qui luxuriosè vivunt, ut verè velint mutare vitam, nam absque hac enixa voluntate, frustra agitur; ideò & Dominus ait Paralytico: *Vis sanus fieri?* Joan. 5. 2. Ostendere evidens periculum æternæ damnationis, quia Deus odit peccata carnalia super omnia; siquidem, quia Omnis caro corrumpit viam suam, & pernitit eum, quod hominem fecisset in terra; & ractus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terra. Et quasi se Jurejurando obstringens, subdit: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Videbat enim, quod cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum. Genes. 6. 5. & ideò in odium luxuriæ omnes viventes delevit aquis diluvii, exceptis iis, qui erant in Arca Noetica. 3. Difficillimum esse, exire è vita carnali, quæ vocatur Putres angustus. Prov. 23. ob pessimum habitum, quem dimittere voluntas non potest absque magno labore; quia detinetur nexibus pravæ consuetudinis, unde Glossa in Job ait: *Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo; consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* 4. Luxuriam non solum animam offendere, juxta illud. Qui faciunt peccatum, hostes sunt animæ suæ, Job. 12. 10. sed etiam corpus infirmitatibus, & doloribus crudelibus adstringere; Qui enim, fornicatur, in corpus suum peccat. 1. Cor. 6. 18. 5. Carnis peccata ob eorum malitiam, assimilari in Scriptura sacra sæpè sapius Idololatriæ. Cum idolis suis fornicata sunt. Ezech. 23. 6. Lapsus Carnis esse signum magnæ iræ Dei in eum perpetrantes. Fovea profunda os aliena; cui iratus est Dominus incidit in eam. Prov. 22. 14. 7. Ore suo Dominum maledixisse carnalibus peccatis: Maledictus, qui dormit cum uxore proximi sui. Deut. 27. & subindè pœna capitali plectendos jussit adulteros in hac vita: Si dormierit Vir cum uxore alterius, uterque morietur. Deut. 22. Imò contra naturam peccantes igne jussit vivos comburi. Qui scelus operatus est, virus ardebit, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. Levit. 20. 14. Quod executus est Dominus contra Sodomam, & Pentapolin; nam subvertit civitates illas.